



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Monstrositatem Nabuchodonosori profuisse, eumq[ue] pœnitentiam
egisse, non item Pharaonem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

hunc modum eos plectere vellet, omnes siluæ monstris imple-
rentur. Nihil pulchra est hæc statio pro illis; aliud stabulum
paratum est: sicut & pro heroicè pugnantibus aliud calum.
Hinc mirari non debent, si illis bene bellantibus malè est.
Equè magna præmia, ac magna supplicia, in futurum diffe-
runtur.

CAPVT LVII.

*Tertia moralis monstrorum causa, ut non tam pœna, quàm
medicina; diuinorumq; Sacramentorum commendatio,
& procuratio virtutis, conseruatioq; castita-
tis sint.*

Nod regi Nabuchodonosori profuit, profuit etiam
alijs multis. Monstrum fuit corpore, ut animo
fierent pulchri; aut ut pulchri permanerent. De re-
ge Babylonis, qui ictus didicit sapere, ipse rex loquatur. *Nunc*
igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem
cali; quia omnia opera eius vera, & via eius iudicia, & gradientes
in superbia potest humiliare. E qua confessione non pauci vero-
similiter colligunt, Nabuchodonosorem septennali sua mon-
strifitate castigatum ferè ad Deum verum fuisse conuersum,
totoque corde contritum atque humiliatum; proindeq; etiam
iustificatum; quin etiam, cum non diu superuixerit, saluatum.
Dorothei hæc sunt verba: *Cum Nabuchodonosor peccatorum*
suorum remissionem adeptus esset, dedit Propheta regnum suum; &
nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus,
Nam hoc illi Daniel praeceperat, ut leguminibus & herba vescens
Dominum placaret. Eadem ferè habet Epiphanius, quæ osten-
dunt diuersos in diuersis esse flagellorum Dei effectus. Nam
Pharæo per flagella & prodigia Numinis magis induruit, ac in
sua cæcitate mortuus æternum damnatus est. Hæc sunt dispa-
ria iudicii Dei, qui *cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.*
Vterque fuit rex, vterque tumidus & superbus, vterque con-
temtor Numinis; *in eodem lecto dormierunt; eodem morbo*
ægrotauerunt; vnus fuit assumptus, & vnus relictus. Et, ut tanto
magis

L
Dan. 4. 34
Ioseph. Do-
rothei in Sy-
nopsi. Epiph-
in vita Dani-
elis. Lyran.
Carthuf. & v-
videtur etiam
S. Augustin.
ep. 122.
Dorothei in
vita Danielis.
Rom. 9. 18.
Matth. 24. 40.

H h h h h 2 magis

1. Cor. 10, 12.

magis timeas omnipotentem, cum alio illum rege compara-
Salomon à teneris vnguiculis fuerat piè educatus, & religiosè
vixerat; quin tantæ fuit iustitiæ, quantæ sapientiæ; in senio
tamen à mulieribus deprauatus, idola coluit; qua de caussa,
multi eum esse Orco addictum arbitrantur. Nimirum *qui stat,
videat ne cadat*. Nabuchodonosor autem, qui in sceleribus
omnem vitam traduxit, in fine vitæ conuersus est, æternum
inter beatos futurus; vt nemo desperet, aut dicat, actum de-
se esse. Ad hoc ex rege hoc monstrum factum est, vt discere-
mus, è monstris homines, immò reges fieri posse. Lucrosa est
metamorphosis, vbi pœna pœnitentiam operatur.

II.

Io. Nider. l. 2.
Form. c. 9. &
lib. 4. c. 10.

Et sæpe pœna non tam pœna est, quàm medicina, &
commendatio diuinorum Sacramentorum. *Novi aliquando no-
bilem & deuotum militem* (ait Ioan. Nider, quem alio loco
Boarum nominat, & tanquam sanctum militem, cui quinque
annis ante obitum mors sua fuit reuelata) *qui uxorem pulchram
habuit deceptam occultè paulisper à quodam adultero, cui satis con-
glutinato amore affecta, & infecta erat. Expertus illud miles ma-
ritus prudens, qui animam perdita uxoris curare volebat, secretè
uxorem accersuit, vultum eius (vt mihi miles retulit) horridum
nimis vidit; ei sanctis & pijs monitionibus contritionem super scelere,
& pœnitentia Sacramentum suasit; & per Dei gratiam ad hoc exe-
quendum vsque perduxit. Quo factò & sacramentali sumpta pœni-
tentia à sacerdote recedens, casto marito militi visa est pristinam re-
cuperasse faciei speciem totaliter, quam antea sensibiliter perdidisse
videbatur*. Hæc ille. Ac sanè conscientia sæpenumero per-
vultum emicat, vt si illa patiatur tempestatem, etiam rugæ in
frontem, & nubila in oculos veniant, respondeantque teter-
vultus, & teter animus. Et vult Deus vel in corpore subinde
ostendere animæ deformitatem. Quod si autem pœnitentiæ
Sacramentum hanc in corpora vim habet, quantam habebit
in animas, quam non in illas reducet venustatem? cum ex illis
tollat peccatum? cum omnem maculam emaculet? cum in-
eam gratiam reducat? cum charitatem resuscitet? cum iusti-
tiam, omnemque virtutem moralem ei restituat? qui virtutis
chorus, est verus nitor, & vera mentium pulchritudo. Mirum
est,